



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Mendicis, destitutisque alijs subuenit. cap. 3.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

rent; nunc ad se vocando; nunc ad ea loca adducendo, ubi praesentes mala, miseriasque cernerent; frequenter etiam ad eos mittendo. Clericum in consultationibus eorum, semper adesse curabat, qui sanitati praesunt publica auctoritate conseruanda; vt postestatis vtriusque gubernatio apte ordinata conueniret; & ad subueniendum esset accommodatior. Hi magistratus, & praefecti, tum qui ciuitatis in consilio erant, primo quidem inuisitata, & tunc inexpectata tempestate perturbati; simul ea re impediti; quod, Regis ne, an ciuitatis sumptu, qui maximus futurus erat, tanta prouidenda essent, disceptatio erat; officij sui partes non satis, vt diximus, agere potuerunt. at cum sese colligentes, negotium serio susceperunt; rem omnem ipsi quoque magna diligentia, vt inferius apparebit, magnaue prudentia gessere. qua de re qui eorum negligentiam, & tarditatem, primo de iuggestu religiosi viri, grauiter inerepauerant; atque adeo crudelitatis nomine dure accusauerant; postea mirifice laudarunt; praedicaruntque, Mediolanenses tarditatem magno virtutis cumulo compensare. Gubernatorem praeterea ipsum Carolus grauiter monebat; vt in tanto amplissimo ciuitatis periculo, & pene imminente exitio, quae opus essent, prouideret; ciuium fugam modum poneret; egenis curaret subueniri. nam in dies morbus magis ac magis cum ingrauesceret; eorum numerus, quos ex vrbe quotidie magistratus educi, & in Sancti Gregorij locum conici iubebant, praeter modum augebatur, & cum eo maxime rerum omnium egestas crescebat. Conquiri etiam studiose veterum scripta curauit; quibus de grege a Pastoribus, & praefectis in calamitate non deserendo, praesertim pestilenti tempore, disputatur: exempla item eorum proferri,

qui tali tempore curam aegrotorum, contempto mortis periculo, susceperant, atque omnia libello comprehendi, edique iussit; vt praecipuus aliquis pietatis ardor in hominum, praesertim sacrorum mentibus, Dei spiritu in primis agente, concitaretur; & ad contemnenda mortis pericula pij mortales acrius inducerentur. habuit in hoc genere ab Episcopis suis Mediolanensibus exempli aliquid ad imitandum. sed ijs praecipue delectatus est; quae, vt est apud Eusebium, Dionysius Alexandriae Episcopus narrat: aegros grauissimo pestis tempore, ab Christianis omni charitatis officio adiutos; non solum Presbyteris, & Diaconis; sed laicis quoque: qui quidem iacentibus assidentes, hilare ministrabant, & morbum etiam contrahebant: ipsa cadauera lauantes, ornantes, & funebri linteo inuoluentes, immo etiam humeris portantibus, libenter vna cum fratribus suis mortem optebant: eoque libentius, quod genus mortis a martyrii laude nihil abesse existimabant: cum interim gentiles homines miserabiliter se iniuicem desererent; vir uxorem, uxor virum; filij parentes, parentes ipsi natos suos.

CVM essent omnium animi tam tristis euentus expectatione suspensissimis, nullusque iam esset mercaturae, artificijve quaestus: suam quisque domum ad quam paucissimos redigere studebat, quia & sumptus diutius ita suppeteret; & in minori numero, minus periculum futurum erat contagionis. Itaque & patritij famulos, famulasque; & mercatores, artificesque operarios, quotquot poterant, missos faciebant. illi autem, neque suo labore, neque aliorum liberalitate viuere poterant: prouincia decedere, nisi certo vitae discrimine, per finitimos non licebat; recto

etiam

Mediolanenses
desertis
aliis subue-
nit
CAP. III

etiam ipso carebant. Atque alij quidem, vitæ periculum contemnentes, vt vitam tuerentur; aut si minus possent viuere, honeste saltem occumberent; operam suam ægrotis, cadaueribusque deducendis; rebus quoque igne, & aqua purgandis, publice locauerunt. alii agmine facti, ad Carolum, tamquam egenorum patrem, omnes communi consilio confugerunt. quibus item se socios addiderunt mendici multi, qui ostiatim quæritare victum solebant. Carolus, quamquam de tot hominum inopia iam sollicitus erat, quot humano iudicio diu sustentari posse nullo modo videbantur; egregia tamen illa sua fiducia confirmatus, de iis subleuandis animo cogitare cœpit. post multa versata, cum in primis tecto, eoq; amplo opus esset; venit in mentem magnarû ædium quas in via Romana, septimo ab vrbe lapide, Franciscus Gallorum Rex ante annos circiter sexaginta construxit; victoriæ illius monumentum, quam de ferocissima Heluetiorum multitudine, pro Mediolanensi Duce Maximiano pugnante, reportauerat: qua de re eas victoriæ etiam nomine appellauit. quas quidem ædes, cum adiuncto agro, Carolus olim, cum nescio qua ratione obtinuisset, pro ea parte, quæ ad eum pertinebat, primario pauperum hospicio donauerat. eò igitur gregem miserabilem misit; suppellectilem ad vitæ necessitatem suppeditauit; mares a foeminis disiuictos haberi iussit; certas precandi exercitationes, horasque præscripsit: religiosos viros laicos, & sacros, præsertim quos vocant Capucinos præfecit; qui eorum res curarent; & multitudinem malis fere artibus assuetam in officio continerent. vt autem facilius, & otij malum arceretur, & vnde viuerent suppeteret; ad vicos, villasque, quæ circum essent turmatim eos educi quotidie præfectorum cura iussit; & elemosynas passim quæritare. ordine au-

Pars III.

tem quæque turma crucem sequebatur, & litanie in via operam dabat. ac, tametsi incredibile visum fuerat, de tali hominum genere; sine flagitio fere, toto pestilentie tempore, quietam in eo loco vitam egerunt. id fecit indigentia; fecit eorum, qui præerant diligentia; & poenæ item metus: nam ad eos, qui deliquissent, puniendos, iudicem suum mittebat Carolus, quemadmodum cum Senatu conuenerat; qui homines castigari, & virgis etiam cædi iuberet. Ipse quoque præsens interdum eorum res cognoscebat: tum ex Archiepiscopali domo, licet inopi iam, peneque exinanita, elemosynarû subsidio deficiente, quæ opus essent, & suppeterent, petere, atque asportare iubebat. Fuerunt autem ij circiter trecenti. Verum cum hyeme ingrauescente homines semiuestiti maxime algerent; memorabile fuit Caroli factum; qui cum aliud non haberet; velaria, quibus ex simplici laneo panno, nulla textili pictura, ad parietes uestiendos utebatur: item conopea, vela, stragula; quibus ex eadem materia, & opere, operiri lectos, ostia obtendi, mensas sterni opus erat; omnia concidi iussit; & ex ijs duplices vestes quamplurimas cum caputio fieri, singulisque tradi. vt iucundum, pietatisq; plenissimum spectaculum, multitudo pauperum, marium, foeminarumque præberet; purpureis, violaceis, viridibus, pullisque vestibus, olim ad amplitudinem comparatis, varie induta. scio ex eius modi suppellectili nihil reliquum in Caroli domo fuisse, præter vnum viride, & vile conopeum, nescio quo casu omissum; & cannabinum item stragulum viride, quod laneo panno fuerat subsutum; quod in ea ipsa mensa stratum Carolus habuit, qua legendo, scribendo utebatur: neque vquam postea mutauit; sicuti neque pannos parietum, neq; stragula ostiorum vquam restitui, vsque ad mor-

Ff 3 tem

rem passus est. Sed ne aliis quidem rebus ullis tali tempore pepercit. vestes, caligaeque, necessariis tantum reventis, aut donauit, aut vendidit, ut pretium pauperibus daret. pelliceas vero vestes ita alienauit, ut vsum eius modi sibi in perpetuum interdiceret. omnino domus tota rebus ijs omnibus exhausta est; quae sibi, familiaeque prorsus ad vitam necessariae non essent. nam Carolus ipse cellas ingressus, ne quid forte contra eius voluntatem reseruaretur, inspectis receptaculis, omnia extrahi iussit. pecunia quoque multa mutuo accepta; quae non nisi ex insequentium annorum fructibus solui posset. quin ea ipsa quandoque penitus defuit; cumque nihil suppeteret, vnde necessaria emerentur, & nox iam esset; magnum pecuniae numerum, pro consueta in elemosinis dandis magnificentia, Cusani fratres Pomponius, & Augustinus miserunt: ut ob illam, praeclearaeque alias virtutes, Augustinum in sacrosanctam Ecclesiam catholicam Senatam cooptatum, non solum Mediolanensis, sed Ecclesia quoque laetetur vniuersa. ac non ciues solum, sed exterius etiam multi quae pauperibus dare statuebant, eaque magni momenti, mittebant ad Carolum, quem optime omnium distribuere solebant.

Parochiorum officia: sup-
plicationes
que publi-
caz, pestis
caussa.
CAP. III

Iam pluribus locis tacta morbo ciuitas, in tantum periculum adducta erat, ut quasi multis partibus injecto igne, subito, atque horribili incendio conflagratura videretur. prudentes certe, patriaeque amatores viri summo opere dolebant; breui fore, ut amplissima ciuitas, morbo, luctuque confecta miserime cecideret, & ciuium interuentione vallata, in solitudinem propemodum, ut antea simili ex morbo, redigeretur, multitudo namque populi maxima est: insigni numero plebs, & vulgus; genus hominum ad contagium maxime accommodatum ob confertissimam habitationem, &

forde: qui si non pestilentia, fame certe breui interituri videbantur. solent enim ex quotidiano quaestu viuere; cui tunc locus non erat. & si quid superesset, in vestimenta potius, etiam quae longe eorum statum superant; quam in res ad paulo diuturniorem victum parandas, malunt infumere. Is cum esset prudentium virorum sensus; ne Carolus quidem, nisi Dominus praecipua aliqua, atque admirabili ratione subueniret, aliud fore existimabat. Attamen litteris a Pontifice interim, & concessionibus allatis: alacri, promptoque animo, Deo fretus, & charitatis stimulis coecitatus, ad reliquam afflictam ciuitatis curam aggressus est. Atque Parochos, quamuis de eorum debitis populo officijs adhuc definitum non esset; grauium tamen Scriptorum sententiam secutus, iussit consistere; agrotis suae parociae adesse; sanctaque, poenitentiae saltem, & Eucharistiae sacramenta ministrare. qui resisteret multauit; quosdam etiam in carcerem coniecit: quamquam plerique minime coacti, ac satis fortiter in vrbe, totaque dioecesi, officij sui munera tandem obierunt: quidam etiam sponte extremam vocationem moribundis adhibuerunt. Cum autem artificia varia, mortis metu industriam acuecent, quidam inuenirent; quibus Sanctissimam Eucharistiam, vel longe, vel lecti morbo affectis praeberet: nullum adhiberi Carolus passus est; sed manu libere porrigi sacrosanctum cibum omnino statuit. At etiam decentes cautiones & probauit, & docuit: veluti, ut contra egroti spirituum sacerdos vultu non consisteret; sed eum commode semper declinaret: ut inter eum, agrumque poneretur ignis, cuius vi, quae in aere esset, tabes absumeretur: digitos statim post ministerium, vel acetum, vel accensum cerei flamma purgaret: indumentorum suorum, agrumque contactum studio se cauere: quae etiam statim mutaret, purgarive cu-